STEPHANUS DEI GRATIA

Rex Poloniae magnus Dux Lithuaniae Russiae Prussiae Masoviae Samogithiae Livoniae etc. nec non Princeps Transylvaniae etc. Significamus praesentibus
literis nostris quorum interest universis et singulis: Quia nos habentes rationem meritorum et obsequiorum Nobilis Constantini Carneadis Theloneatoris nostri,
cum in Russia praefecti quae serenissimis antecessoribus nostris praestitit et nobis etiamnum praestare intendit multisque in negociis usui esse potest, ideo nos illi Advo-
catiam et Suburbium dictum Ostrow in oppido nostro Szczerzecz una cum molendino piscina et Theloneo ad praefatam Advocatiam spectantibus in terris Russiae
consisten. per condescensionem liberam generosi Joannis Borzatinski de eisdem ac de iure suo advitalitio et summis legitimis ex actu Commissariali rite taxa-
tis videlicet duorum millium quadringentarum nonaginta et octo marcarum ac grossorum sexdecim quas super praefata Advocatia inscriptas habuit dandam
et concedendam esse duximus. Quam condescensionem in quibuscunque et coram quibuscunque actis fiendam concedimus assentimusque nos pro Regia nostra clen
mentia ratam ac gratam firmamque habere volentes, eandemque iuxta privilegii tenorem Generoso Joanni Borzatinski a serenissimo antecessore nostro concessi in omnibus
punctis clausulis et articulis confirmamus approbamus ratificamus roburque perpetuae ac debitae firmitatis habere decernimus: Itaque ex eodem tempore
idem Nobilis Constantinus Carneades praefatam Advocatiam et Suburbium dictum Ostrow una cum molendino piscina et Theloneo ad praefatam Advocatiam
spectantibus cum omnibus et singulis quibuscunque vocitentur nominibus proventibus utilitatibus fructibus sylvis agris hortis censibus laboribus angariis
tam ex Colonis in Suburbio Ostrow dicto ad eandem advocatiam pertinen. nullis penitus exceptis, neque pro nobis nostra et Reipub. utilitate reservatis
praenominatus Nobilis Constantinus Carneades tenebit possidebit utetur fruetur ad extrema vitae suae tempora. Promittentes verbo nostro Regio pro nobis
et serenissimis successoribus nostris, quod quamdiu praefatus Constantinus Carneades vixerit ipsum in possessione pacifica ac usu fructu libero Advocatiae praedictae
et Suburbii Ostrow dicti in Oppido [illegible] Szczerzecz una cum molendino piscina et Theloneo ad praefatam Advocatiam spectantibus conservabimus et manutenebi-
mus, neque pro mensa fisco Coquina aliove nostro et Reipub. usu, ullo colore adimemus, neque alicui potestatem adimendi aut eximendi faciemus, neque succes-
sores nostri adiment aut potestatem alicui adimendi facturi sunt. Ratione cuiusquidem advitalitatis in praefata Advocatia nobis et Reipub. quartam
partem summae pecuniariae inscriptae ex taxatione Commissariorum provenien. videlicet sexcentas sexaginta quatuor marcas grossos quatuor et viginti cum medio
numeri et monetae in Regno currentis dimisit et condonavit et praesentibus dimittit et condonat: Ratione vero villae seu Suburbii Ostrow dicti nobis
et Reipub. quartam partem vigore Constitutionum Regni quotannis solvere tenebitur. Post mortem vero praefati Nobilis Constantini Carneadis cum suc-
cessoribus eius summa pecuniaria in eadem Advocatia et Suburbio legitime inscripta minime aucta quarta parte donata defalcata, persoluta fu-
erit, tum demum Advocatia et Suburbium Ostrow dictum cum aliis pertinen. ad nos pleno iure redibit et devolvetur iuribus nostris regalibus salvis
semper ibidem permanen. In quorum fidem ac certum testimonium sigillum Regni nostri praesentibus est appensum. Datum Thorunii in Conventione Re-
gni generali die Septima mensis Novembris Anno Domini Millesimo quingentesimo Septuagesimo Sexto. Regni vero nostri anno primo.

Stephanus Rex

Advocatias Domini Constantini super advocatiam Sep. 4 7bris ... et suburbium ... Anno 1576

Quo Privilegio à Rege Stephano, G. Korniakt pro Nobili agno... [illegible] Seitur

Na ... Woytostwie 6 24 Marca et grossi 24 precz ... ... Magnantur ... y sukcessorom ... ... nalezec ma.

1576.

Korniakt

1576 Anno